



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. De jure Concursûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

Deinde, nisi ex parte provisus ab Ordinario concurreret non solum assignatio *diei*, sed etiam *horæ*, cujus assignationem non haberet provisus à Pontifice. Nam ob illam determinationem præsumitur provisio Ordinarium anterior; quia est certior probatio illa, quæ hac determinatione caret, ut diximus *n. 425. & tenet Barbosa p. 3. de potest. Episcopi allegat. 57. n. 5.*

§. 2.

De jure Concursum.

428 **C**oncursum fit, si, præter Pontificem, etiam alii, Collatores Papæ inferiores, sub eodem dato conferant idem beneficium v. g. Kalendis Jun. *Papa Cajo; Legatus à latere, Titio; & Episcopus, Sempromio.* In tali casu, cum dubitatur, cui istorum trium collatio prius facta sit? si nullus adhuc possideat, propter majorem consentientis prærogativam præfertur collatio Papæ, reliquis; & collatio Legati, collationi Episcopi, *c. si à Sede, 3 f. de præbend. in 6.* si vero unus eorum prius accepisset possessionem justam, ille præferendus esset *c. in pari, de Reg. juris in 6.* Not. autem, quod hoc jus *concursum* etiam locum habeat in Episcopo respectu sui Vicarii Generalis, qui beneficium vacans ex speciali concessione Episcopi, contulit alteri. *Pirhing de præbend. n. 80. §. notandum 3. Not. 2. eos, qui Autoritate Apostolicâ in Canonicos recepti sunt sub expectatione præbendæ proximè vacaturæ, debere in affectatione illius præferri his, qui Autoritate Legatorum, vel aliorum quorumcunque prius recepti sunt in Canonicos ejusdem Ecclesiæ. c. 12. de præbend. in 6.*

429 Ex hoc sequitur, illam regulam, *54. in 6. qui prior tempore, potior jure.* procedere in his, quorum *par* est *causa*, sive jus æquale, non autem, si *avispar*, quia *gratia non estimantur ex tempore, sed ex causis, & personis. gl. in cit. c. V. antea.* Hinc, quando plures concurrunt ex diversis titulis, prærogativa tituli (nimirum collatio vel concessio à digniore persona) præfertur prærogativa temporis, hoc est ei, qui à minore, seu minus digno promotus est. Sed hoc intellige, quando agitur de jure *ad rem*, non de jure *in re*, ut colligitur ex *c. si à Sede, de præbend. in 6. & gloss. magna in c. hi qui. not. 1.* Unde quando diximus, collationem Papæ in concursu præferri et-

iam collationi factæ à Legato à latere, intelligitur, quando hic procedit ex potestate Ordinaria, non autem, quando ex speciali mandato, nam tali mandato provisus, censeri debet provisus Autoritate Apostolicâ, non Legati, si ageret per instrumentum; sed, si de lucro solum non capiendo, de quo *V. Pirhing. h. t. à n. 81.*

Questio fieri potest, qualiter constare possit, quod Ordinarius prævenit in prima collatione? *Gonzalez ad 8. regul. Cancellariæ §. 3. in præm. à n. 147.* censet, necessarium constare debere per instrumentum, seu scripturam, factam coram Notario, & testibus se subscribentibus in eodem instrumento, neque sufficere literas Ordinarii suo sigillo munitas; neque item factas coram Secretario, si Secretarius *Notarius* non esset, neque, si testes essent domestici, quia facile poterat Ordinarius fingere, *ante datam* cum suo Secretario, & testibus domesticis. Ne ergo hæc fraus committatur, requiritur (inquit *Gonzalez*) ut Ordinarii provisio contra Apostolicam provisionem probetur per Notarium, qui est persona publica, & testes omni exceptione majores.

Cæterum, etsi verissimum sit, provisio-
nem Ordinarii, contra provisorem Apo-
stolicum, seu Legatum non probari suffici-
enter literis ab Ordinario sigillatis, ut post
alios tradit *Malcardus conclus. 99. à n. 13.*
Garcia 8. p. de benefic. c. 4. n. 11. esto ad-
esset Secretarii Episcopi subscriptio, si No-
tarius non esset: at credo, si Notarii subscri-
ptio adesset, referens testes præsentis stetit-
se, sufficienter provisionem Ordinarii pro-
bari contra quemlibet impetantem, tam-
etsi testes in instrumento non se subscri-
perint; quia receptissima praxis est, instru-
mentum publicum non expostulare, ad sui
fidem, testium subscriptionem, ut aliis re-
latis comprobatur *Covar. pract. c. 20. n. 4.*
sic *Castropala 2. tr. 13. D. 2. p. 13. n. 6.*

§. 3.

Quid in provisionibus beneficiorum possint alii, Summo Pontifice inferiores?

Ante resolut. not. *Ordinarium bene-*
ficiorum *Collatorem* dici, qui ea
conferat *jure suo proprio*, tametsi alias ca-
reat jurisdictione, ut colligitur ex *c. Ordinarium. 3. de Offic. Ordinar. in 6.* ibi: *Ordinarium locorum, subditos suos plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura*